

M I S S A

In Festo

S. JOANNIS CANTII Confessoris,
Regni Poloniae & M. D. L. Patroni.

à S. R. Congregatione 23. Decembris 1767. approbata.

Introitus Eccl: 18.

Miseratio hominis circa
proximum suum: mise-
ricordia autem Dei super om-
nem carnem. Qui miseri-
cordiam habet, docet, & eru-
dit, quasi pastor gregem suum.

Psal: 1. Beatus Vir, qui non
abiit in consilio impiorum, &
& in via peccatorum non ste-
tit, & in cathedra pestilentiae
non sedit.

Gloria Patri & Filio & Spi-
ritui Sancto &c.

Miseratio hominis &c.

Oratio.

DA quæsumus Omnípo-
tens Deus, ut Sancti Jo-
annis Confessoris exéplô
in sciéntia Sanctórum pro-
ficiéntes, atq; áliis misericór-
diam exhibéntes, ejus méri-
tis indulgéntiam apud Te
consequámur. Per Dómi-
num nostrum &c.

Commem: Dominicae.

*Lectio Epistolæ B. Jacóbi
Apóstoli cap. 2.*

Sic loquímini, & sic fácite,
sicut per legem libertátis
incipiéntes judicári. Judíci-
um enim sine misericórdia il-
li, qui non facit misericordi-
am: superexáltat autem mise-
ricórdia judícium. Quid pró-
derit, Fratres mei, si fidem
quis dicat se habére, ópera
autem non hábeat? Numquid
póterit fides salváre eum? Si
autem frater, & soror nudi
sint, & indígeant victu quoti-
diáno: dicat autem áliquis ex
vobis illis: Ite in pace, cale-
facímini, & saturámini, non
déderit autem eis, quæ neces-
sária sunt córpori, quid pró-
derit? Sic & fides, si non há-
beat ópera, mórtua est in se-
metípfa.

Graduale Psal: 106. Confite-
antur Domino misericordiæ
ejus; & mirabilia ejus filiis ho-
minum.

V. Psal, 106. Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis. Alleluja Alleluja.

V. Proverb: 31. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Alleluja.

✠ Sequéntia S. Evangélii secundum Lucam. *cap: 12.*

IN illo témpore dixit Jesus Discípulis suis: sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à nuptiis, ut cum vénerit, & pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes. Amen dico vobis; quod præcínget se, & fáciat illos discumbere, & tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, & si in tértia vigília vénerit, & ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitôte, quóniam si sciret paterfamílias, qua horâ fur veníret, vigiláret útiq; & non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia qua horâ non putátis, Fílius hóminis veniet.

Offertorium Job. 29.

JUSTITIÁ indutus sum; & vestivi me sicut vestimento, & diademate, judició meo; oculus fui cæco & pes claudo: Pater eram pauperum.

Secreta.

HAS quæsumus Domine hostias Sancti Joannis Confessoris tui meritis benignus assume, & præsta, ut te super omnia, & omnes propter te diligentes, corde tibi & opere placeamus. Per Dominum nostrum &c.

Communio Luc: 6.

DATE & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.


Postcommunio.

PRETIÓSI Córporis, & Sanguinis tui Dómine pasti delíciis, tuam súpplices deprecámur clementiam, ut Sancti Joánnis, Confessóris tui méritis, & exéplis, ejúsdem charitátis imitatóres effécti, consórtes simus & glóriæ. Qui vivis & regnas cum DEO

✠ Patre &c.



x. III. 47





980519 Bibliotheca 38005.
P.P. Camaldulensium in Bielany


Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



07994







MISSALE
MONASTICUM